



Universitätsbibliothek Paderborn

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicacionem Pagina
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Jesus Passus Per Centuriam
Modorum Meditandi passionem Salvatoris nostri illustratus; cui
accesserunt Meditationes In Passionem Domini XLVI. - Juxta numerum
dierum Quadragesimæ

Druzbicki, Kaspar

Ingolstadii, 1732

VD18 90066405

75. Considerando Passionem Domini, quomodo in ea Christus perfecte
consilia sua adimplevit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45427

bis usque ad mortem imitatione retinentes, vindicantesque; solo hoc ex Christi bonis patrimonio in hac vita, divites, gloriosi, beati.

MODUS LXXV.

Septuagesimus quintus Modus Dominicam Passionem meditandi esse potest, advertere quomodo in Dominica Passione eluceat observatio consiliorum Christi. Erit operæ pretium, eum meditandi modum in aliquot consiliis Christi declarare.

Ac .i. Quomodo octo Beatitudines quæ *Matt. 5.* propria Christi consilia sunt, in ejusdem Domini nostri Passione reluceant, declaratum est superius, Modo 32.

2. Consilium voluntariæ Paupertatis totâ quidem vitâ suâ Dominus exactissimè consecutus est, adeò, ut ab ipso per nativitatem in mundum hunc, vitamque mortalem ingressu, non invenerit ubi caput reclinaret suum; præcipuâ tamen ratione, in tota Passione sua eluxit ejus erga Paupertatem amor, atque observantia. Nudissimus enim in cruce pependit. Vestimenta sua inter crucifixoies partita esse voluit, capite pendulo, & fulcimenti indigo, mortuus est. In siti sua, guttam aquæ non habuit, alienâ findone involutus ad Sepulturam, alienâ stipe mortui corpus inunctum est, alieno denique in sepulchro conclusus, & conditus est. Nullum successorem bonorum, nullam è suis rebus possidendam hæredi reliquit; nisi alienâ miseratione de cruce depositus, tumulatusque fuisset, esca futurus erat, aut volucrum, aut bestiarum rapa-

Luc. 9. 58.

rapacium, five in cruce relictus, five ab cruce projectus. Atque hæc omnia Christo tam fuere voluntaria, & electa spontanee, quàm quidquam spontaneum.

3. Consilium voluntariæ virginitatis atque Puritatis, in omni vita servavit, sed specialiter in Passione & morte complevit Dominus noster. In medio enim virginum, hoc est, Matris, & discipuli mortuus est, & virginem suam carnem, exquisitis subjecit, tum verecundiæ, tum mortificationis occasionibus, & afflictionibus. Et id quidem in pœnam & expiationem omnium & singularum totius humani generis execrandarum obscœnitatum; tum etiam ad emendam apud æternum Patrem corruptissimam, & in turpitudinem luxuriæ projectissimam naturam nostram, omnis castitatis, potissimum verò virginialis puritatis, & gratiam, & amorem, & studium, & præmium, atque triumphum. Nisi enim Christus virgo, virgineam suam carnem, carnis voluptatibus subtraxisset, doloribus autem subjecisset, nequaquam virginum sponsus, & Rex puritatis omnis, castique consilii seminator exstitisset.

4. Consilium voluntariæ obedientiæ cuius cum stupendum imprimis Amorem, cultum, exemplumque in Passione Domini nostri videre est, tum etiam votum, professionemque cognoscere. Quemadmodum in primo instanti Incarnationis suæ, ingressusque sui in mundum momento, professus est Dominus noster Æterno suo Patri obedientiam omnem, asserente id post Psalmistam Apostolo. [*Ideo ingrediens in mundum dicit. Holocaustum & oblationem non*

G:
oper
JO
N
S

luiti, corpus autem aptasti mihi, &c. Tunc dixi,
 ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut
 faciam Deus voluntatem tuam. Deus meus volui,
 & legem tuam in medio cordis mei. Contestans
 se nullâ suâ usurum libertate, quantumlibet sibi
 à Patre permiscâ, & relictâ, saltem quoad cir-
 cumstantias, & conditiones mandati de morte
 subeunda pro nobis, idque voto perpetuo con-
 firmans, & sanciens. Ad eundem modum etiam
 ex mundo exiens, atque ad Deum vadens, &
 sciens quia omnia dedisset ei Pater in manus,
 nihilominus factus est obediens usque ad mor-
 tem, mortem autem crucis. Atque cum hâc
 jam prospiceret terminum tam suæ Passionis,
 quam Paternæ voluntatis, minimè autem suæ
 ad obediendum ultra promptitudinis: non du-
 bitavit Paternam voluntatem provocare, ad
 suggerendam adhuc alacritati suæ patiendi ac
 obediendi materiam, propter quod inclamavit
 in cruce, *Sitio*; in quo nimirum amplius Patri
 obedire, & suæ ad obtemperandum fami sitive
 obsequi posset. Cum verò animadverteret Pa-
 tri Eterno nullam amplius esse imperandi sibi
 voluntatem: ergo filiali simul humilitate, si-
 mul subiectione, persimilis quærenti, ait, ad Pa-
 trem. *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti*
me? Obliviscens famelicæ sitibundæque prom-
 ptitudinis meæ ad obedientiam, Tibi ô Pater, quia
 nullam mihi jam dignaris suppeditare præcepti
 materiam. Quocirca quoniam obedire ulte-
 rius, non possum Tibi, & consummata sunt om-
 nia, quæ placuerat imperare mihi, si itaque finis
 vivendi, quandoquidem est finis obediendi.
 Non enim lubet ultra vivere, quoniam non li-
 cet

Joan. 19. 28. cet ultra obedire. Ergo in manus tuas Pater
 commendo Spiritum meum, ut eodem sit mihi
 clausula vivendi, quæ & obediendi. Atque
 in hæc quoque voluntate sanctificati sumus per ob-

Luc. 23. 46.

Hebr. 10. 19.

Luc. 18. 1.

Luc. 21. 36.

lationem corporis Jesu Christi.

5. Consilium Christi. Oportet semper orare

& non deficere. Igitur vigilate omni tempore o-

rantes. Hoc consilium suum Incarnata Sapien-

tia Christus, totius quidem vitæ suæ decursu ex-

ercuit, sed maximè illi in sua Passione deditus

fuit: quin imò Passionem suam totam, fecit

orationem perpetuam. Cùm enim tota ejus

Passio, crux, & mors, aliud nihil sit, quàm sacri-

ficiam, atque adeo holocaustum, quod pro om-

nium salute, unigenitus Dei, Deo Patri obtulit,

constat autem sacrificium esse præstantissimam

orandi speciem, sequitur quidquid in Passione

Christi est, seu quidquid Christus Passus est, id

totum orationem ejus fuisse. Et præter hoc,

initium Passionis Christi, oratio perquam accu-

rata fuit in horto Getsemanico. Deinde per

totius Passionis cursum, illa perpetua Christi

Luc. 23. 34. oratio fuit: Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt. Jam verò in cruce per tres horas cum

Hebr. 5. 7. penderet vivus: preces & lachrymas cum clamore

Pf. 21. toto. valde obtulit Patri: quas Psalmo suo toto Da-

vid Rex prophetaverat, ad extremum totam vitæ

periodum orando, & in manus Patris Spiritum

suum commendando tradendoque absolvit.

Luc. 14. 11.

6. Consilium Christi. Omnis qui se humiliat exaltabitur, & omnis qui se exultat humiliabitur.

Hoc consilium à Christo in Passione completum,

qui non agnoscit, planè nihil in ea, nihil in

Christi fide, nihil in ipso Christo agnoscit. Ad

hoc

G:
 S:
 oper
 Jo.
 N.
 S.

hoc explanandum sufficit illam Apostoli tum enarrationem, tum etiam simul exhortationem adducere. *Hoc sentire in vobis, quod & in Christo Jesu: qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se equalem Deo; sed exinanivit semetipsum, formam servi accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, caelestium, terrestrium, & infernorum.* Quibus verbis graphice Paulus & exinanitionem humiliationemque Christi, & ejusdem exaltationem, & denique nostram obligationem, atque etiam expectationem complexus est.

7. Consilium Christi. *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos. Orate pro persecuentibus vos, benedicite maledicentibus vos.* Et quid est tota Christi Passio, si non hujus consilii praxis, atque executio? Nam praeter illam inaudita mansuetudinis vocem, qua Dominus in medio acerrimarum passionum, orabat ad Patrem non se postulans vindicari, sed crucifixoribus suis petens ignosci; utique tota Passio fuit inimicorum & dilectio, & cum irati Dei justitia reconciliatio. *Etenim cum adhuc inimici essemus reconciliati sumus Deo per Christum, perque medianterem ejus Passionem, & mortem.* Quare etiam usque hodie in singula momenta, & usque ad mundi finem Passio Christi praecipue operatur unam dilectionem inimicorum, reconciliationem injuriosorum, veniam peccatorum, gratiam ingratorum, amorem persecutorum,

Phil. 2. 5.

Matt. 5. 44.

V. P. Druzb. Op. VIII.

li

pro-

provocationem infidelium, justificationem iniquorum. Ita ut sine Passione Domini, pacem cum DEO habere nemo possit, cum ea vero nemo non possit. Adhuc ergo hodie Christus clamat de cruce pro nobis ad Deum. *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Quæ vox nisi semper in paternis auribus, per vulnera ad mortem unigeniti personaret, indubitate totus mundus in suarum eluvione iniquitatum disperiret. Sed oratio Patientis Domini pro peccatoribus, scutum est atque protectio peccatorum ab justo furore Domini irascentis.

In hunc modum, cætera consilia Christi in Passione Christi elucescentia, pio meditati considerare licebit, hæc autem in exemplum dedisse hoc loco sufficiat. Alia consilia Domini sunt: *Quæ tua sunt, ne repetas. Si quis percusserit te in unâ maxillam, præbi illi & alteram. Esote perfecti, sicut & Pater vester celestis perfectus est.* *Qui major est vestrum, fiat sicut minister. Gratis accepistis, gratis date. Dimitte, mortui sepeliam mortuos suos. Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me.* Et alia ejusmodi.

MODUS LXXVI.

SEptuagesimus sextus Passionem Domini meditandi Modus est: applicando nostras ad illam, vel illam ad nostras passiones, sive affectiones, tam quæ in concupiscibili, quam que in irascibili appetitu resident. Habent enim si diligenter attendimus omnes nostræ affectiones in Passione Christi, in ipsoque Christo Passio, patibulum suum, speculum suum, exemplar suum

G:
 &
 oper
 Jo.
 N
 S

Luc. 6. 30.

Matt. 5. 39.

Matt. 5. 48.

Matt. 20. 25.

Matt. 10. 8.

Matt. 8. 22.

Matt. 19. 21.